



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **SEDI NOSTRAE** MEMORIAE PRODITUR SUMMUM  
PONTIFICEM IOANNE PAULUM II  
DIE SEPTIMO ET VICESIMO Ianuarii, HOC ANNO,  
CORONASSE IMAGINEM B. V. M. DE COROMOTO, IN DIOECESI GUANARENSI Ad perpetuam rei memoriam. – Sedi  
Nostrae beati Petri apostoli redditis, post peregrinationem in Americam Latinam, quanta subeunt, quae in tam longo  
itinere aut vidimus, aut diximus, aut gessimus: agmina paene infinita filiorum, regiones ac loci pulcherrimi, coepit  
religiosa ibi inita, difficultates tum ad pietatem alendam tum etiam ad vitam populorum sustentandam, spes florentes in  
animis, pericula quibus Dei gressus obnoxius, cetera multa. Inter sacros autem ritus, quos ubique affluente populo  
celebravimus, ille haud minimus, quo beatissimam Virginem Mariam de Coromoto sollemnissima caerimonia  
coronavimus, pretioso diademe imposito. Est enim Maria, illo honorata cognomine, non solum amata ac venerata ab  
universo regiones Guanarensis populo, sed etiam fere fons unde ceterae totius nationis Venetiolanae Ecclesiae  
alimentum habuerint. Praeterea Venerabilis Frater Angelus Adolfus Polachini, Episcopus Guanarensis, suo cleroque  
populique nomine, etiam atque etiam rogaverat, ut ad ritum illum devenientes, simul pignus benevolentiae Nostrae suae  
dioecesi daremus, simul causam augendae pietatis Christifidelibus afferremus. Ceterum Nostra erga castissimam Dei  
Matrem religio tam sancta, ac fides tam tenax, ut summo cum gaudio ritum confecerimus: videbamur enim non auri  
coronam Matris capitii imponere, sed gloriae atque pietatis. Egimus ergo, die septimo et vicesimo mensis Ianuarii proxime  
elapsi, quod petierant, grege fidelium stipati, coetu Episcoporum circumdati, ritu omnino memorabili. Ut vero rei tam  
faustae posteris proderetur memoria, has Litteras dari iussimus, facti testes incorruptas. Contrariis nihil  
obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Februarii, anno MCMLXXXV,*  
*Pontificatus Nostri septimo. AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1985 - Libreria*  
*Editrice Vaticana*

---